

c) Impendere redditus in usus ad quos fundatione vel statuto destinantur. Parochus nullatenus distrahere potest aliove transferre hujusmodi bona aut res ad ecclesiam pertinentes, sine obtenta ab Ordinario licentia; quam ille non aliter concedere debet, quam si alias res meliores parochus reipsa substituat; nisi forte justa aliqua necessitas secus suadeat, quod episcopi prudentiae statuendum relinquitur. Leurenus, Forum beneficiale, part. I, quest. 446, apud Mau-pied, lib. VI, cap. 15.

733. Jure non prohibetur assumti laicos in administratione bonorum ecclesie. Laici quicumque, etiam principes et reges, *per se* nullum jus habent sese immiscendi in regimine et administratione bonorum ecclesiasticorum, ut probat Faguanus in capite *Ecclesie in Sancte Maria*, De constitutionibus, num. 15; ex concessione tamen Sedis Apostolice, per concordata aut aliam viam, laicis in fabricis ecclesiarum competit aliquod jus administrationis in eisdem ecclesiis.

Attentis variis dispositionibus juris circa administratores laicos, haec sunt retinenda juxta leges canonicas:

1º Matricularii seu administratores laici fabricarum eligi debent secundum synodales constitutioves, si adsint, aut juxta locorum legitimam consuetudinem, vel per ipsum parochum, aut de ejusdem consensu per parochianos, vel per ipsos matricularios.

2º Possunt semper revocari ab episcopo.

3º De rebus ecclesie, praeter scitum parochi, quidquam disponere nequeunt; praeterea nec ipsi, nec parochus de redditibus et rebus ecclesie quidquam disponere possunt, nec proinde instauraciones ecclesie facere, nec ejusdem dispositiones interiores, nec altaria, etc., immutare absque episcopi approbatione.